



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VI. An, & quando Archiepiscopus sit iudex competens inter subditos Clericos, vel Laicos Suffraganeorum, vel non sit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Ecclesiasticæ? His tamen nihil obstantibus fatetur quidem communior sententia, originaliter juris Divini esse hanc Clericorum exemptionem, eò quòd scilicet Deus dederit Summo Pontifici hanc eximendi potestatem, & satis certum esse, quòd in rebus merè Spiritualibus & Ecclesiasticis exemptio hæc sit juris Divini formaliter, & immediatè; Clericorum tamen & talium personarum Ecclesiasticarum exemptionem formaliter & immediatè juris esse positiivi humani, tam Canonici, quàm Civilis; tum quòd potestas circa Ecclesiastica & Spiritualia immediatè à Christo data est Summo Pontifici, sicuti potestas politica in ordine ad temporalia à Republica datur Principi: tum quòd utriusque iuris textus hanc exemptionem Clericis tribuant, & non in primitiva Ecclesia, omnis anima juxta Apostolum sublimioribus potestatibus (secularibus scilicet) subiecta fuerit, sed ipse etiam Apostolus ad Cæsarem appellaverit, tum quòd Pontifex etiam hodie possit minuere, aut extendere hanc exemptionem. Neque argumenta contraria efficaciter intentum probant, cum antiqui testamenti leges judiciales & cæremoniales hodie non amplius valeant, & novi Testamenti verba de Filio Dei ab omni potestate humana exempto intelligi possint; Sacri verò Canones, & Tridentinum satis explicentur, si originaliter Divini juris hæc exemptio dicatur esse, vel saltem si dicatur talis exemplatiter facta ad antiquæ legis exemptionem, non quidem immediatè à Deo, sed à Summo Pontifice; Ad rationem denique responderi potest, nihil eà efficaciter probari, cum vel de rebus

Fishing. Compend.

consecratis procedat, quibus ratione consecrationis major reverentia debetur, vel de rebus non consecratis, & par erit dubitandi ratio: quia tamen nec secundæ sententiæ argumenta efficaciter aliquid probant, videntur priori, quæ Clero favorabilior, & communior est inter Canonistas, sua major probabilitas non neganda.

§. VI.

An, & quando Archiepiscopus sit iudex competens inter subditos Clericos, vel Laicos Suffraganeorum, vel non sit?

NON potest Archiepiscopus causas eorum, qui suis Suffraganeis subditi sunt, si per appellationem à Suffraganeis ad se devolvantur, cognoscere, nisi prius de appellatione cognoscat, num legitima illa, an frivola sit. *C. Romana l. h. l. in 6.* Neque potest etiam querelas audire super salariis Advocatorum v.g. in causis per appellationem ad se devolutis, ne videatur jam sibi in talibus causis atripere instantiâ, quod facere non potest; & quamvis cogere non possit immediatè subditos suorum Suffraganeorum, ut delegationem causæ alicujus suscipiant, vel præcepta sua aut sententiam exequantur, aut in causis per appellationem ad se devolutis, testimonium perhibeant, aut ut super contractibus à se, vel suis officialibus auctoritatem accipiant, aut forum, nisi consuetudo recepta aliud obineat *juxta cit. c. 1.* cum non habeat jurisdictionem in subditos suorum Suffraganeorum, nisi in certis quibusdam casibus, quales isti non sunt; potest tamen suo Suffraganeo ob jurisdictionem in hunc

I i . man-

mandare, ut sententiam in causa appellationis contra subditum illius latam, exequatur, vel subditum suum compellat, ad ferendum in causa appellationis testimonium; *juxta Gloss. hic V. suscipere.*

SECTIO IV.

De foro competente Laicorum conventorum à Clericis, & quando Laicus conveniri possit apud Judicem Ecclesiasticum?

§. I.

Ubi, sive coram quo Judice Ecclesiastico, an Seculari, Clericus conveniri possit, vel debeat Laicum?

EX regula quadam generali actor forum rei sequi debet, & consequenter actor Clericus reum Laicum coram seculari Magistratu convenire deberet; sicuti tamen consuetudo peculiarium Regionum hac in re varia est, ita possunt etiam jura contra communem regulam decidere aliquid. Et hinc *juxta c. si Clericus s. h. t.* primò, si Clericus contra Laicum agit, petendo ab eo rem, de qua constat, quòd Ecclesie sit, aut Clerico propria, vel quando Laicus non negat, rem peritam Ecclesie, aut Clerici esse, adiri debet Judex Ecclesiasticus, eò quòd in tali casu videatur sacrilegium in detentione intervenire, de quo judicat Ecclesiasticus; si verò Laicus negat, rem, quæ petitur Ecclesie aut Clerici propriam esse, vel satis constet, nec Ecclesie, nec Clerici propriam hanc rem esse, vel saltem dubium sit, num sit Ecclesie aut

Clerici propria, Clerico actore affirmat, Reo tamen Laico negante, coram judice seculari causa talis cognosci debet (ob communem regulam, quòd actor forum rei sequi debeat) modò Laicus conventus fortassis apud Ecclesiasticum judicem à Clerico asserente, rem hanc Ecclesie aut propriam esse, protestetur coram eo, si neget, rem hanc, Ecclesie esse, quòd per hanc negationem, neque laici contestati, neque in illius jurisdictionem consentire velit, ne protogate in jurisdictionem Ecclesiastici judicis videatur: nunquam tamen si causæ principali adhæreat aliqua qualitas, quæ hinc dras possit Ecclesiasticam, etiam si reus conventus eam neget, mixti fori tamen censebitur causa talis, ut etiam coram Ecclesiastico negans reus conventus possit.

§. II.

In quibus præterea casibus Laicus conveniri possit coram Judice Ecclesiastico, sive à Clericis, sive etiam à Laicis?

Regulariter quidem Laicus coram Laico Magistratu conveniri debet in causa Civili, si tamen judex Laicus desit officio suo in administranda justitia, potest reus Laicus ab actore, sive Clericus hic sit, sive Laicus, trahi ad judicem Ecclesiasticum, etiam si causa metè Civilis sit *C. Licet. 10. & c. Ex terrore 11. h. t.* (sicuti enim justitia negligenda non est) quin imò viduæ, pupilli, orphani, & alii ejusmodi miserabiles personæ, si opprimantur, aut possessione suâ spoliarentur, possunt statim & immediate Laicum